



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynæi de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Antonii Bynæi Somnium De Laudibus Critices.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

ANTONII BYNÆI  
SOMNIUM  
DE LAUDIBUS  
CRITICES.

Curis secundis recognitum.



D O R D R A C I  
Ex Officina Viduæ Caspari, & Theo-  
dori Goris.

---

C I D I D C L X X I I .



ANTONI BURNI

SOMNIUM  
DE AUDIBUS  
CRITICES

Qui secundum cognoscitur



ORDINE  
MAGISTRI  
C. G. G. G.

JO  
82  
5  
82  
do  
fir  
qu  
de  
ra  
m  
in  
M



CLARISSIMO VIRO

JOHANNI GEORGIO  
GRAEVIO,

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS.



Agnam felicitatem  
mihi adeptus vi-  
deor, quod, cum  
amore politionum  
literarum ab ipsa a-  
dolescentia flagraverim ardentif-  
sime, te Doctorem nactus sim,  
qui illas cum immortalis tua lau-  
de, & omnium gentium admi-  
ratione tractas, & summa hu-  
manitate complecteris omnes,  
in quibus est aliqua non alieni à  
Musis, & iis artibus omnibus,

A 2

quæ



DEDICATIO.

quæ ingenuo homine dignæ  
sunt, ingenii significatio, cum  
alios instruendi, & ad veram &  
solidam eruditionem inflam-  
mandi, tuum sit maximum &  
indefessum studium. Hoc enim  
consecutus sum, ut tuis saluber-  
rimis præceptis à prava & for-  
dida studiorum ratione aver-  
terer, & iter tutum ad omnia  
præclara & sublimia viderem,  
& tu, cum non omnino invi-  
ta Minerva hæc me colere ju-  
dicares, singulari cura meos co-  
natus adjuvares, & domum, &  
bibliothecam, & quod majus  
est, ipsum pectus aperires, &  
nequid deesset, gratiam multo-  
rum hominum illustrium, inpri-  
mis Nobilissimi & Summi Viri,  
cum quo maximæ tibi fuerunt  
ami-



## DEDICATIO.

amicitiæ necessitudines, N I-  
COLAI HEINSII, conci-  
liares, quem, inevitabili fatorum  
lege nobis & Reipublicæ lite-  
rariæ non ita pridem ereptum,  
suo merito lugemus, cum nemo  
ignoret quantus vir fuerit, non  
tantum omni literatura & bo-  
nis artibus longe instructissi-  
mus, verum etiam qui in car-  
minibus novis, quæ elegantiam  
& puritatem prisce Latii redo-  
lerent, pangendis, & veteri-  
bus castigandis ac suo decori  
restituendis, vix ullos pares,  
neminem superiorem haberet.  
Quare, cum id omne, quod in  
studiis præclararum artium, quæ  
ab humanitate nomen habent,  
profecerim, uni tibi debeam,  
nihil prius in votis habeo, quam



## DEDICATIO.

ut insigni munere declarare possim, quantopere me tibi devinctum agnoscam. Nunc, quando id quod cupio consequi nondum possum, id, quod proximum est, sedulo facio: Colo memoriam tuorum erga me meritorum, & de tua admirabili doctrina, recondita omnium artium scientia, singulari eloquentia, incredibili humanitate & suavitate morum, qua omnium voluntates & animos tibi devincis, quoties occasio est, prædico, licet sciam nihil ad gloriam tuam meo testimonio posse adjici, quia monumenta ingenii tui plurima & pulcherrima, quibus ævum nostrum illustrasti, & literis elegantioribus, inprimis auctoribus  
me-



## DEDICATIO.

melioris ævi tantum adjumenti  
& luminis attulisti, ut nulli,  
qui in hoc studiorum genere  
elaborant, sis secundus, te su-  
pra laudem omnem dudum ex-  
tulerunt, & fama tua non so-  
lum Fœderatam Belgicam no-  
stram, verum etiam alios cul-  
tiores populos pervasit, adeo ut  
omnes, quotquot sunt hac æta-  
te viri literati ac studiis doctrinif-  
que dediti, te ament, & ipsi Prin-  
cipes, qui eruditionem sciunt suo  
pretio æstimare, te ornent, tan-  
quam primarium seculi virum:  
Et vel hunc ingenii mei foetum, in  
quo ea studia defendo, in quibus  
tu unus omnium maxime excel-  
lis, uti ante septennium sine  
tuo nomine & patrocinio pro-  
dure nolui, nunc iterum tibi in-

A 4 scribo,



## DEDICATIO.

scribo, ut testimonium aliquod  
fit grati & memoris animi, &  
incredibilis observantiæ erga te  
meę. Quod si tibi persuaserit,  
omnia me consecutum existima-  
bo. Vale seculi & eruditionis  
decus. Pierhillæ in Batavis Kal.  
Martiiis Gregorianis MDCC  
LXXXII.

CAN.



## CANDIDO LECTORI.

**E** A tempestate vivimus,  
qua tanta hominum  
ineptorum multitudo  
est, qui melioris litera-  
turae & Critices scientiam repre-  
hendunt, & eos qui operam in  
tam nobili studio collocant, de-  
rident, ut per hos si staret, hæc  
à tot illustribus & magnis Viris,  
eleganti ingenio & doctrina præ-  
ditis, tam diligenter culta stu-  
diorum ratio, neglecta prorsus  
& contempta, omnem suam dig-  
nitatem in perpetuum amitteret.  
Ante septennium in homines  
istiusmodi leporibus lusimus, &  
Criticæ majestatem ab eorum  
calumniis vindicare Sumus stu-  
dii. Quæ lucubratio faventia  
plurimorum judicia experta fuit.

A 5

Nisi



Nisi quod homo quidam, qui barbarum loquendi genus, quod multis Philosophis etiamnum placet, putida dissertatione defendit, calumniatus sit nostrum scribendi modum, & vigilantem somniare vulgo perinde haberi ac snaviter delirare, dixerit. Qui miser se expertem omnis elegantiae & humanitatis ostendit, & ignoravit, dum me accusat, se Viros Maximos, Lipsium, Nannium, Cuncæum, Ferrarium accusare, quorum ego somnia imitari malo, quam illorum obscuras vigilias. Id quidem tam parum me movit, ut etiam hoc Somnium hic adjungendum censuerim. Vale.

IN



IN  
S O M N I U M

Ingeniosissimum

Viri Elegantissimi & Pereruditi

ANTONII BYNÆI,  
ULTRAJECTINI.

**L**aurigeri sapiant Parnassi in vertice  
vates,

Stans mediâ Orator Palladis Arce sapit.  
Prima Poëtarum laus, somnia fingere: sed  
nunc

Rhetoris (en!) cerebrum Somnia ficta  
parit.

Haud aliter Jove nata suo Tritonia quondam  
Prodiit, & vatum fabula facta fuit.

Aurum alius, longos alius sibi somniet annos,  
Et quodcumque nivis more perire solet;  
Scaligerum ingentem qui somniat atque  
Sophiam

BYNIADES, Orbi se vigilare probat.

A 6

Quam



Quàm lepidè nostras furatur. & abripit  
aures!

Rhetoricum quantâ differit arte melos!  
Utile dum dulci, veris dum Somnia miscet,  
Discimus attenti sola polita loqui.  
Nox caca & vocum Chaos hac post Som-  
nia cedent,

Quaeque latent, poterunt Sole recente  
frui.

Barbara, sic abeat, BYNI, farrago lo-  
quela,

Sic, nove Linguarum Phosphore, red-  
de diem.

LUCAS VANDE POLL.  
J. U. D. & in Academia Ultra-  
jectina Professor.

AN-



ANTONII BYNÆI  
SOMNIUM  
DE LAUDIBUS CRITICES.

Auditores omnium ordinum at-  
que ætatum Nobilissimi & Præ-  
stantissimi.



Non mirum homines eru-  
ditos, & sapientiæ studiis  
excultos, inter quos su-  
ma deberet esse animo-  
rum conjunctio, jurgia,  
discordias, similtates  
exercere, & se invicem hostili pœne ani-  
mo laceffere, cum libido contendendi,  
quæ vivos inquietat, mortuos non deserat,  
aut odia post fata cessent. Hoc qui sciam, si  
quis quærat, ea dicam quæ in buccam ve-  
niunt. Non mihi viæ Appiæ Curator, qui  
Claudium se vidisse dixit cum in cœlum  
faceret iter, à quo omnia, quæ post illius  
mortem acta sunt, audivit Seneca, nar-  
rayit. Multo minus Menippus Cynicus,

A 7

senex



2. ANTONII BYNÆI

senex falsissimus, qui sæpe Luciano secreta Deorum aperuit, ac in insulam, in qua eruditorum manes seorsum ætatem agunt, Petrum Cunæum duxit, & cuncta quæ in ea peraguntur, viro exquisitæ eruditionis ac festivissimi ingenii ostendit. Non me Morpheus Deus, per fenestras binas, sicut Petrum Nannium, ad inferos demisit. Neque ex Jano Douza hausi, qui multa magno Lipsio ostendit, aut ex Lazaro Bonamico, qui alato equo instar Pegasi in Heliconem vexit Octavium Ferrarium. Quis ergo, dices, sive Deus, sive Genius, hoc indicavit? Desine tot quæstiunculis molestus esse, nam post somnum sum paulo morosior. Dicam tamen, si silebis: Mercurius, nepos Atlantis, Jovis qui perhibetur nuntius, per quem Cælorum arcana cum mortalibus communicantur, videndum mihi præbuit in somnio. Video arrectis auribus & ore patulo vos expectare, ut meum somnium edisseram. Ego vero an id tutum sit nescio, cum olim Juvenis Hebræus male multatus sit ab ipsis fratribus, & per convitium,  
qui



qui somnia enarrant, Josephi soleant appellari. Sed cum summus & divinus, omnis eruditionis princeps Aristoteles, de quo vere dici potest, licet cum multorum id invidia conjunctum sit, ex ingenii Philosophorum, quotquot hac ætate nostra vivunt, in unum si conflata essent, confici non posse unum Aristotelem, tanto quemque meliorem esse, quanto meliora somnia videret, judicari, securus quid de me dictari sitis, explicabo somnium. Vos, qui audiendi desiderio tenemini,

*Facite vacivas ades aurium,  
Mea ut migrare dicta possint quo volo.*

*Omnia noctis erant placida composita quiete,*  
cum in lectum me conferrem, & stragulis ad aures usque coopertus, paulo post in somnum lapsus sum. Atque uti animo multarum rerum species in somnis solent occurrere, cubiculum intrare mihi visus est homo juvenis, cum Petafo, Caduceo & Talaribus. Ex habitu, qualem in Poëtis descriptum legeram, facile conjectabam  
Mer-



## ANTONII BYNÆI

Mercurium esse. Is ad meum lectulum accessit, & virga sua tangens leniter: O adolescens, inquit, quoniam arcano quodam naturæ ductu, & monitis atque exemplis præstantium virorum incitatus, in ipsa sapientiæ atque eloquentiæ arcana penetrare, & utriusque abdita scrutari studes, nihilque quod vulgare & tritum sit te delectat, favebo fervidæ virtuti tuæ, & quod cæteris mortalibus negatum est, te in cœlum ipsum ducam, quod eruditi incolunt. Visurus es & auditorus, quæ nec oculis nec auribus à quoquam usurpata sunt. Sequere ergo, liti adfuturus, quam Philosophi Criticis moverunt, quæ hodie decidetur. Ego licet tali visu & alloquio ita consternatus essem, ut cum animo vocem plane amissem, tamen mox collecto spiritu: Quæ, malum, inquiebam, in sede beatorum contentiones & discordiæ fervent? Isti hominum generi nunquam cum Criticis, dum in terris degunt, convenire novi, sed in cœlo, in quod iam constituti sunt mortali corpore soluti, semper credidi pacem summam & arctissimam animorum

con-



conjunctionem esse. Sequere ergo me,  
 Mercurius ajebat, & quæ supra fidem tuam  
 esse dicis, oculatus testis cernes. Rei no-  
 vitate & cupidine visendi incitatus, injectis  
 tumultuarie vestibus, Mercurii vestigia se-  
 quor. Is quidem primo in profundam  
 vallem, deinde ad montem duxit altissi-  
 mum, qui caput supra nubila condebat.  
 Hic mons, inquit, nos supra Lunam du-  
 cet, ubi non, ut quidam falso putant,  
 Paradisus est, sed cœlum quoddam pro-  
 prium eorum, qui doctrinæ studia secuti  
 sunt. Mons totus erat saxeus, & undi-  
 que præruptus, ac velut opere & consulto  
 præceps. Sed in ima parte angusta semita,  
 & paucorum notata vestigiis se aperiebat,  
 quæ cum uni tantum esset pervia, & vepri-  
 bus ac sentibus obsita, ascensum difficilli-  
 mum præbebat. Dum ascendimus, Mercu-  
 rium rogavi, unde acres istæ pugnæ ac con-  
 tentiones, ad quarum spectaculum me voca-  
 verat, ortæ essent. Longæ, tum Mercu-  
 rius inquit, sunt ambages, nec res paucis  
 expediri potest, summa tamen sequar fasti-  
 gia rerum. Apollo ingens speculum ha-  
 bebat,



## 6 ANTONII BYNÆI

bebat, in quo quidquid ullo ævo aut usquam  
 extitisset, uno obtutu cernebatur. Quod  
 in penetralibus Theologorum, seu vete-  
 rum, seu recentium erat abditum, patebat. In  
 eo dolium Diogenis, Epicuri atomi & hor-  
 tulus, fabæ Pythagoricæ proventu læto ube-  
 res, Platonicæ ideæ cum recentiorum globu-  
 lis æthereis, & quidquid docuit Peripatus  
 aut Stoa, videbatur. Omne quod Justinia-  
 nus sanxit, aut Medicorum cura provida  
 invenit, vel diligentia Historicorum literis  
 mandavit ac memoriæ, seu fabulosa Poë-  
 tarum natio excogitavit, cernebatur. Hoc,  
 veluti imperii arcanum, magis quam Palla-  
 dium servandum, Criticis Apollo dedit.  
 Id omnes quam ægerrime tulerunt. Cla-  
 mabant Theologi sua sacra jam vel *ειρηνη*  
 esse nota ac patentia, quod olim nefas ha-  
 bebatur in Cereris mysteriis. Jurisconsulti  
 & cum illis Medici, in suam messem fal-  
 cem immissuros Criticos indignabantur.  
 Philosophi suam divinarum humanarumque  
 rerum scientiam Grammaticis (uti Criticos  
 vocabant per contemptum) committi suc-  
 censebant. Tot contentionum causa spe-  
 culum



## S O M N I U M. 7

culum hoc fuit, ut olim vix plures aut majores pomum Eridis excitarit. Subito vero plerorumque animi ad pacem inclinarunt. Primi desistebant juris legumque periti, cum inter Criticos, Cujacium, Budæum, Hottomannum, Brissonium, Fabros, Tiraquellum, Gotofredum, Rittershusium, Rævardum, Donellum, Gifanium, Cunæum, utrumque Gentilem, & plura alia præclara nomina viderent, qui cum principe omnium Alciato, barbariem, quæ jus divinum atque humanum invaserat & occuparat, ope Critices & meliorum literarum felicissime profligarunt, atque ita Jurisprudentiam ad cultum pristinum & majestatem revocarunt: fateri item cogentur sine rituum & antiquitatum, ac penitioris literaturæ, quam Critici profitentur, notitia, ne millesimam quidem legum suarum partem posse intelligi. Eadem ratio Medicos permovebat, cum cernerent Galenum, omnium parentem, Criticum se præstitisse, multa in Hippocrate recensuisse, corrupta emendasse, transposita & loco mota in integrum restituisse, spurios legi-



## 8 ANTONII BYNÆI

legitimosque libros distinxisse, & adversus editores ejus & interpretes priores disputasse: Hadrianum quoque Junium, Mercurialem, Fuchsium, Cagnatum, Guilandinum, Ophthmannum, Giselinum, Vellingium, Bartholinum, Reinesium, magnos omnes & præclaros viros, artem Criticam exercuisse. Quiescebant etiam Theologi, licet in sacris periculofam nimis Crisin gravarentur, monitis inducti Philippi Melancthonis, qui ingenio, quo semper fuerat, pacifico, infestas inter partes se medium gerebat. Is ostendit patres antiquissimos, summæ ac immense, ad stuporem omnium & admirationem, eruditionis viros, Crisin Theologicam exercuisse Originem imprimis Scripturæ varios interpretes inter sese contendisse, & primo sua Tetrapla è LXX. interpretibus, Aquila, Symmacho & Theodotione confecisse, deinde ubi editio in dolio Hierichunte, Palæstinæ oppido, sub Caracalla, item altera & ipsa in dolio apud Nicopolin, sub Alexandro Mammææ, inventa esset, sua Hexapla, postea cum sacra Hebræorum

rum



rum monumenta, Hebræis literis & Græcis scripta adjecisset, ordinasse sua Octopla, ac tandem unam versionem, LXX. potissimum interpretes secutum, summa diligentia dedisse, ac in illa, quæ addita videbat, obeliscis jugulasse, quæ detracta esse animadvertibat, ex Theodotionis versione accepta in contextum asteriscis sive stellulis notasse, diversas denique scripturas appositis lemniscis indicasse. Quin maximum sanctissimumque virum Hieronymum, in cujus scriptis tum præclara eruditio, tum summa ac stupenda pietas elucet, in Commentariis præsertim, Crisin hanc exercuisse, & de lectionum ac interpretationum varietate sæpe disputasse. Hos vero cum alios, tum majorem omni laude, doctissimum summumque virum Patriarcham Photium secutum. Tandem cum hæc studia abjecta essent & contempta, densas illas tenebras orbem Christianum occupasse, & gravissimos ac foedissimos errores in Ecclesiam irrepsisse, qui à se, & aliis præclaris viris, omni eruditionis copia instructis, discussi essent

&



10 ANTONII BYNÆI

& profligati. Addebat tanto quemque Theologum fuisse doctiorem, quanto diligentius his studiis incubuisset, ut exempla Calvinii, Bezae, Junii, Gomari, Riveti, Sculteti, Spanhemii, & multorum aliorum, qui suo tempore & postea vixissent, declararent. In obscuris autem Sacrorum Voluminum vocibus ac phrasibus, & gentium ac Judæorum antiquitatibus & ritibus nullos certius ac tutius consuli dicebat. Id docere scripta Munsteri, Fagii, Camerarii, Drusii, Merceri, Masii, Amamae, Ariae Montani, Bertrami, Botii, Buxtorfforum, utriusque Capelli, De Dieu, Cartwrighti, Gaulmini, l'Empereurii, Scikhardi, Waseri, Haksanii, Glassii, Fulleri, Petiti, Hottingeri, & quos seu principes in omni genere scientiarum eruditus orbis admiratur, Josephi Scaligeri, Isaci Casauboni, Danielis Heinsii, Hugonis Grotii, Iohannis Seldeni, Claudii Salmasii, Gerhardi Iohannis Vossii, Samuelis Bocharti, quos plurima utriusque foederis loca illustrasse, quæ absque iis fuisset, à nullo



nullo Theologorum adhuc essent intel-  
lecta, constare inter omnes adjiciebat.  
Minime tamen paci studebant Philoso-  
phi, qui, quod diu odia cum Criticis exer-  
cuissent, undique convitiis eos proscinde-  
bant, imo linguæ volubilitate, quam in  
quæstiunculis & rixis exercuerant, op-  
pressuros se confidebant. Hæc mali la-  
bes cum late serperet, Apollo interces-  
sit, & minaci vultu. *Quæ insania vos  
agitant & larvæ, inquit, quod Criticis  
invideatis, & me qui isto munere dignio-  
rem judicavi neminem, ledatis. Agite,  
in Sophia templum cras venite, & qua-  
cunque contra Criticos habetis, libere pro-  
ferte. Se ipsos Critici defendent. So-  
phia, ponderatis rationibus, litem vestram  
decidet.* Instat ergo nobilissima con-  
certatio, ad cujus spectaculum te vocavi.  
Vix ea fatus erat, cum jam ad verticem  
& cœlum ipsum pervenissemus in quo  
eruditi sedibus sacris fruuntur. Tum me  
Mercurius nebula operuit, ut, *Æneæ  
instar, omnia circumspectarem, ipse  
invisus.* Cœli autem hujus qualis  
pul-



pulchritudo sit, neque ego memorare, neque ullus, vel maximi nominis orator, adumbrare potest. Majus enim hoc quiddam est, & sola mente contemplandum, quod auditu aut narratione percipi nequit. Dum omnia summo cum stupore & admiratione lustro, jam undique ad templum eruditi ibant. Monet tum Mercurius ut & ipse properarem. Ego, licet jam defatigatus & sudore madens præ lassitudine vix ejus premerem vestigia, gressus tamen quantum potui promovi. Templum antiquum erat & augustum, è duro ac plane niveo marmore constructum, & sublimibus columnis fultum. Unicolor ejus marmoris candor, qui incomparabili splendore præstringebat oculos, conspectum templi commendabat. In medio solium constitutum erat aureum, gemmis distinctum, quæ internitentes insatiabili contemplatione spectantes tenebant. A dextra parte solii Critici consistebant, à sinistra Philosophi. Ego cum oculos in Philosophorum turbam conjicerem, mirifico quodam videndi magni Aristotelis desi-

desid  
curi  
deret  
rius  
Critic  
tica  
Critic  
hanc  
temp  
judic  
de P  
men  
item  
accu  
tion  
Alex  
rum  
biort  
causa  
curi  
Juliu  
ades  
insta  
Poë  
accu



desiderio incendebar. Itaque, ad Mercurium conversus, ut illum mihi ostenderet rogavi. Eum non adesse Mercurius respondit, quia, cum summus ipse Criticus fuisset, qui Grammaticæ & Criticæ initia dedisset, ac inde nomen Critici pro merito tulisset, & artem hanc adversus omnes sui ac superiorum temporum Philosophos exercuisset, tum judicia de omnibus Poëtis, in præclaro de Poëtica libello, cujus sola jam fragmenta exstant, divulgasset, Comitorum item fabulas recensuisset, & singulas cum accurata, quibus fuerant repræsentata, ratione temporum digessisset, ipsi denique Alexandro Poëtarum principem Homerum emendasset, & Homericorum dubiorum libros sex scripsisset, Criticorum causæ nimium favebat. Hinc etiam, Mercurius addebat, nec maximus virorum Julius Cæsar Scaliger illorum causæ voluit adesse, qui animo excelso & heroico, ad instar Principis Philosophorum censorem Poëtarum egit se acerrimum & Criticum accuratissimum: Nec conspicies Marcilium

B

Fici-



Ficinum, Picum Mirandulam, Ludovicum Vivem, Rodolphum Agricolam, & Petrum Gassendum, qui omnes summi cum existerent Philosophi, artem Criticam non neglexerunt. Tota turba, quam vides, est illorum, qui heri nati & nudistertius, cum unam quæstiunculam aut duas controversias intelligere se arbitrantur, solos sese sapientes putant, & antiqua nunquam consulunt, sed damnant. Inter hos sermones invisitato fulgore templum illustrabatur, ac Diva Sophia intrabat, incessu gravi, matronali decore & habitu veneranda, ore tamen puellæ propiori. Formam pulcherrimam depingere nequeo, cum ex oculis, quavis stella clarioribus, quidam quasi fulgor eluceret, ut diutius eam intueri non possem. Vestes neque magno artificio confectæ, neque multa cura erant circumpositæ, sed tunica purissimi candoris, ipso ornatus neglectu majestatem conciliabat. Dum prætergressam diligentius contemplor, tunicam video nescio quibus atris & mille maculis variegatis pannis deturpari. Quare,

stu-



stupore percussus, Mercurium rogavi, unde hæc splendido vestitui aspersa esset scæditas? Is respondit esse sequioris seculi doctorum laceros, atque infimæ notæ versicolores pannos, inæqualiter asutos. Interea in solium aureum Diva Sophia resedit, & silentium per præconem fieri iussit. Simul è Philosophorum turba quidam surgit, fastu plenus, & cæterorum contemptum præ se ferens, qui omnibus aliis audacior & confidentior, dicendæ partes sibi arrogaverat. Hic cum

— *propexam in pectora barbam*

ter quaterque manu permulisset, & vultu ad severitatem composito frontem corrugasset, supercilia mira arrogantia tollebat, & hiatu magno nescio quæ promittere videbatur. Tandem duos *sylogismos figuræ quartæ* (quam præ aliis sibi placere velut per parenthesis addebat) expromit, & bellis aliquot conclusiunculis ex artis suæ disciplina, multa Divæ Sophiæ, quæ nihil ad rem attinebant, probare nititur. Tum nihil Criticorum gente vilius & preti-



minoris esse, hoc argumento convincebat, quod ad quam *Categoriam* referendi essent disputari posset. Non tulit declamantem Diva Sophia, sed silentium imperavit, simul medicum jussit arcessi, qui hellebori ipsi daret quantum satis esset, vel, si non sanari posset, in exilium ad Cimmerios deportaret, ubi lucem non videret, & in *scala predicamentali* ascenderet & descenderet, tam irrito labore, ac saxum suum semper volveret Sisyphus, aut pertusa dolia Danaides replerent. Mirus inde fit tumultus & animorum consternatio, quod patronus ille causam pessime egisset. Orant tamen Divam Sophiam, ne unius hominis inscitia dicendi ipsis copiam adimeret. Concedit Diva, sed ea lege, ne producant hominem, qui, in artis suæ ostentationem, ineptior quam prior esset. Ergo circumspiciunt cui partes illas tutissime mandarent. Inprimis duo erant, in quos omnes oculos conjecerant. Ego, quo nomine vocarentur, submissa voce Mercurium rogavi. Ille Dormitantium unum, alterum Fabriculanum



num dixit, & magni nominis inter suos esse. Cum diu dubii hæssissent, tandem omnium suffragiis Febriculanus designatus est. Is vero, cum aliquamdiu meditabundus constitisset, ita fari incepit.



Um me illius, *Diva Sophia*, qui in hanc arenam ante me descendit, exemplum moveat, ut potius oratorum more, quam secundum artis nostræ regulas disputaturus sim; oro atque obsecro, ne causæ nostræ præjudicet, si non tanta cum verborum pompa & eloquentiæ ostentatione, quam hi Grammatici solent, verba faciam. Rebus enim gravioribus & sublimibus formandis cogitationibus occupatus, ad has minutias nunquam descendi, sicut hæc Criticorum natio, quæ talium ineptiarum tristi labore defungitur. Nam cum verba mentis nostræ & meditationum sint interpretes, in id tantum incumbendum Philosopho existimavi semper, ut ea clara & nostro ævo usitata adhibeat, licet non in Cicerone &

B 3.

scrip-



scriptoribus aliis, è quibus illi homines suos flosculos velut è capsula proferunt, inveniantur. Quare Te rogo, *Diva Sapphia*, ut non tam verba, quam argumentorum, quibus contra illos sum disputaturus, pondera, considerare velis & perpendere. Atque, ut in unam rationem, quæ mihi quidem non videtur posse convelli, omnia contraham, cum præstantia & eximia hominibus nugarum & quisquiliarum investigatione tantum occupatis committenda non sint, manifestum est, nec hoc doctrinæ speculum pretiosissimum Criticis credendum esse, quorum omnis cogitatio & industria in levibus & minimi momenti rebus tota versatur. Hi vietas & rancidas tantum observatiunculas proferunt, quasi iis ignoratis Respublica literaria periret, ac in eo disputant, *Virgilius* scribendum sit an *Vergilius*, & Noctium Atticarum auctor *Agellius* vocandus an *Aulus Gellius*. Tales quæstiones hi vani homines, & sui ostentatores maximi, avidè captant & arripiunt, ex tali mustaceo laureolam quærunt, totamque ætatem in nurgis



gis istiusmodi terunt. Hos capita & diatribas conscribere videas, si non integra volumina, de antiquis illis naniis, Homerus an Hesiodus sit natu major. Et istorum fidei augustum illud omnis doctrinae & scientiarum speculum committi, quis sine summa indignatione ferat? Quot non illi somnia invehunt, & ridicula ac supervacua discunt? Quot non vanas res miseris laboribus colligunt? Operæ pretium est illa referre ac recensere quibus maxime gloriantur & superbiunt. Si MS. aliquod nacti fuerint, qualia summo studio undique conquirunt, & è Bibliothecis erunt, ac in eo vocem aliquam paulo aliter quam in editis scriptam repererint, vel literam mutatam, statim corrigunt, & *evange* quam maxime clamant, majoremque gloriam in tam bella inventionem collocant, quam si Babylona vel Trojam ipsam expugnassent; & de literula ac syllaba triumphant, quas jugularunt. Quasi multum in ea re situm esset, an sic an vero aliter auctor scripserit. Tum quidquid non implet, ut ipsi solent dicere,



aures eorum, vel non Latinum satis videtur, statim de mendo suspectum habent, ac ex conjectura illud corrigunt, vel si verum audire velint, corrumpunt, & loca sana lacerant, distrahunt ac pervertunt. Veri librorum carnifices & pestes, qui auctores urunt, secant, mutilant, ac pro suo lubitu eorum membra transponunt, & monstra quædam ex iis conficiunt. Adeo ut jam vere dici possit, quod de Homeri exemplaribus olim dictum est, auctores multo meliores & emendatiores esse, qui minime sunt emendati. Quod si illi homines hoc speculum retineant, futurum prævideo, ut sibi omnium rerum ac disciplinarum peritiam sint arrogaturi, & pro suo corrigendi omnia & emendandi pruritu, in scientiis & artibus cuncta depravaturi & innovaturi. Quare, Divarum omnium pulcherrima, Patrona nostra & Præses, coram cujus tribunali in sanctissimo templo convenimus, Te oro venerorque, ne diutius patiaris præstantissimum hoc doctrinæ speculum à Criticis teneri, sed istis hominibus abjudices,  
ne



ne cuncta pereant, & artes, scientiæ, disciplinæ corrumpantur, & quid detrimenti capiant.

**V**arii post hanc orationem motus animorum fuerunt. Philosophi plaudabant, ac veluti triumphum canere incipiebant. Sed bilis mota est Criticis, cum omnes se notatos cernerent. Et quamvis singuli certatim & flagrantissime respondendi partes exposcerent, & magno studiose componerent ad dicendum, tamen uni omnium calculis Ræ demandatæ sunt. Regius decor corporis, venerabilis aspectus, elegantis senectæ eximia species, oculi acres, qui animi vigorem præ se ferebant, & seriæ gravitatis lineamenta virum non vulgarem ostendebant. Quis esset, Mercurium rogavi. Is, inquit, est Josephus Scaliger, fama super æthera notus, quem vel admirari satis, vel, ut par est, prædicare nemo potest. Statim vero ut ad dicendum surrexit, tantum repente fuit silentium, quale Turcarum esse dicitur, cum in templis

B. §                      fedent.



sedent. Ille gravitatem ac majestatem  
vultu præferens, in medio constitit,

— expectatoque resolvit

Ora sono. —



**D**iveniri quamplurimos, qui  
res præstantissimas, & plane  
divinas, contemnunt, vel  
etiam carpunt, & sinistre de-  
torquent, quid mirum, *Diva*,  
cum vel hic homuncio multa in dedecus  
& opprobrium nostrum declamare non  
erubuerit. Sed faxo jam intelliget, ac  
Tu, *Diva*, testis eris, quantum differant  
excelsi animi & cordati ingenii viri, ab  
hominibus imperitis, qui invidere quam  
imitari bonos malunt, & non tantum ex  
eorum, quæ non didicerunt, contemptu,  
velamenta ignorantia, sed, quod pejus  
est, ut aliis noceant, in frigidissimis ac  
jejunis calumniis latebras quærunt. Multa  
sane convitia in nos congescit Febricula-  
nus, & plurimarum noxarum reos pere-  
git, inepta sua & iniqua declamatione,  
cujus vestigia videbo an respondendo se-  
qui



qui queam. Quam lepidè se in ipso li-  
mine excusat, cur non ornate ac diserte  
dicat, quia rebus gravioribus scilicet in-  
tentus, artem dicendi excoluerit nunquam.  
Quasi sapientiæ percipiendæ tantum incum-  
bere & immorari pulchrum esset, bene  
dicere autem absurdum foret, & istorum  
hominum gravitate indignum. Quasi  
quis non posset eleganter & copiose di-  
cendi laudem, ac rerum scientiam sibi  
comparare, simul eloquens esse & Phi-  
losophus? Usque adeo imperitus es, Fe-  
briculane, ut summam in veteribus Phi-  
losophis dicendi vim ac copiam fuisse ne-  
scias? Ut tibi lateat magnos illos viros,  
omni studio & labore assequi contem-  
disse, ut, quæ pulchre cogitabant, apte  
possent & ornate explicare, cum scirent  
rerum scientiam sine verbis aut nullam &  
imaginariam, aut mutam & mutorum  
esse? Si vel solum legisses Aristotelem,  
scires non tantum orationis flumen aureum  
fundere, sed insuper præcepta dicendi  
unum omnium optime tradidisse. Si an-  
tiqua consulisses, didicisses Socratem;



mortalium sapientissimum, etiam eloquentia omnium facile principem fuisse habitum, & Platonem, cum summa Philosophiæ scientia, tum tanta fuisse elegantia, ubertate, jucunditate & majestate dicendi, ut Jovem ipsum, si loqui unquam voluisset, Platonis sermone usurum, neque melius aut ornatus loquuturum veteres dixerint. Theophrastum etiam, maximum Philosophum, à divinitate loquendi nomen invenisse, & Xenophontem, propter dicendi suavitatem, Musam & Apem Atticam vocatum. Est enim illa præclara rerum scientia, quam tu falso profiteris, cum facultate ornate copioseque loquendi tam arctè conjuncta, ut qui has distrahere conetur ac divellere, quasi corporis & animæ discidium inducat. Te rebus gravioribus intentum verba neglexisse dicis: Quasi non tot barbara vocabula, prisco Latio inaudita, quæ Marcus Varro, Romanæ Linguae peritissimus, prorsus ignoraret, & Terminorum monstra, quæ avorum temporibus, cum purus sermo jacebat neglectus, in scientias

in-



introducenda sunt, quibus ipsa sapientia, à tot illustribus ingeniis olim culta, tantum à pristina dignitate, quantum à dicendi nitore recessit, didicisses, quæ nihil aliud quam verborum concertationes sunt, in id inventæ, ut inania verba sine rebus imbibantur. Hæc tamen si quis eructare norit, alte supercilia attollit ac se magnifice effert, cæteros despicit & sua admiratur. Quod si illi, qui talibus adhuc delectantur, viam veterum & rationem, qua in Philosophia tradenda usi sunt, pervestigarent & intelligerent, fors esset ut ad horum exemplum iis abstinere mallent, quam sapientibus & ingenii exculti viris ludibrium cum risu debere. Quanta eloquentia Philosophica tractavit Tullius & Annæus Seneca, Naturalia Plinius & Astronomica Manilius? Quos si vel inspicerent, illico sorderet hæc vulgata Philosophandi ratio. Sed quia hi non sunt ad eorum palatum, etiam alios ab illorum lectione arcent, & ingeniis, in quorum cultura non minima spes est, istum tramine inficetorum Philosophorum percur-



rere præcipiunt. Hic tamen nos Grammaticos audet vocare, ac calumniari, nos in levibus & minimi momenti rebus confefcere. Quo ipfo summam antiquitatis omnis ignorantiam ostendit, & suam infantiam prodit. Grammaticorum quidem nomine censentur hac tempestate, quorum omnis industria in tradenda pueris elementorum ratione versatur, quos ~~ῥημασολογοὶ~~ Græci, *Literiones* Latini appellarunt, quam artem etiam omnes pædagogici quotidie tractant. Hanc pueris & eorum præceptoribus linquendam, ac vix inter disciplinas reponendam censeo, licet in ea excelluerint, apud Græcos Herodianus, Tryphon, Apollonius Alexandrinus, apud Romanos Scaurus, Donatus, Plinius Secundus & ipse Iulius Cæsar. Sed veteribus Grammatici erant & dicebantur, tum qui abstrusas historias, Poëtarum mythologias, & Oratorum monumenta explicant, ac omnes scriptores interpretantur, quos *Literatos*, & *Philologos* appellabant, tum, qui ubi in abdita doctrinæ penetralia se insinuarunt;

judi-



judicium de omnibus scriptoribus tam novis quam antiquis ferunt, depravata emendant, ambiguas & variantes lectiones colligunt, quæ falsas inscriptiones mentiuntur suis Auctoribus asserunt ac vindicant, loco mota reponunt & restitunt, errores aliorum notant ac castigant, & veluti censores atque principes pro tribunali sedent, & sententiam de omnibus pronunciant ac sciscunt, quos *Criticos* vocabant. Quare, quod ille maledictum vehementer existimat, ego laudem duco maximam: neque enim multorum est, sed paucorum. Nam sive illos spectes, requiritur in iis omnis eruditio.

*Ut legat historias, auctores noverit omnes  
Tanquam ungues digitosque suos: ut forte  
rogatus*

*Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea,  
dicat*

*Nutricem Anchisæ, nomen patriamque no-  
vercæ*

*Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,  
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.*

*Sive*



Sive hos, isti non una disciplina contenti, quoniam omnium unum quoddam vinculum ac corpus esse sciunt, stupendo labore scientiarum orbem totum pervagantur & perficiunt. Hinc veteres non unam illis disciplinam tanquam propriam, sed in universum omnes subjecerunt, & iudicium de scriptoribus cujusque generis permiserunt. Tales Criticos, qui in conservandis & emaculandis scriptoribus operam posuerunt, nemo ignorat, nisi barbarus, ab omni ævo & in omnibus cultioribus & humanioribus gentibus extitisse. Apud Hebræos Masorethæ fuerunt, quorum miranda circa S. Codicem industria & singulare studium ac diligentia eluxit. Nam & Bibliorum scripta apicibus & punctis vocalibus exornarunt, & varias lectiones diligentissime annotarunt, & stupendo labore non modo quot commata & verba, sed etiam quot literas continebant libri singuli, numerarunt. Arduum opus; quod vel ipse Hercules non minus quam tertium decimum laborem exhorruisset. Apud Græcos divinum & incomparabile Aristotelis ingenium effulsit, à quo.



quò Criticen initium cœpisse existimant. Tum Aristarchus extitit, vulgo κριτικός dictus, cujus opera in colligendis Homeri scriptis laceris, & notandis spuris versibus, fuit occupata. A quo tempore Homero immortalitas data est. Fuere quoque Censores Comitorum, ac Poëtarum iudices, quales quinque Athenienses habuerunt. Dein huic studio incubuere Crates, Aristophanes, Nicander, Callimachus, Apollonius Rhodius, Chrysippus, alii Heroes magni, quos Philologos, Polyhistoras, & πολυμαθεῖς, à multiplici rerum scientia, & immensa eruditione veteres dixerunt. Hujus ordinis plurimos habuerunt Romani, quales fuerunt Marcus Varro, togatorum doctissimus, qui Plautinas comœdias insigni diligentia recensuit, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, Palæmon, Sisenna, Santra, Nicias, Nicanor, Valerius Probus, Læneus Pompeji M. libertus, Varius & Tucca, qui Augusti jussu Virgilium emendarunt, Ælius Iurisconsultus, Asconius, Agellius, Servius, alii, per quos illibatus mansit ho-

nor



nor auctorum præstantium & Latinitatis. Intravit & Critica consularem domum M. Tullii, quem non piguit Lucretii de natura libros emendare, & ad Atticum disputare, Piræum an Piræeum scripserit Cæcilius. Tandem, cum profligata barbarie, qua jacuerant scriptores elegantes, situ squalidi, & pulvere, qui meliorum librorum partem exederat, obsiti, necessarium esset, ut homines docti tollerent maculas, quas temporum injuria & imperiti librarii inusserant, studium hoc præstantissimum in Italia suscitatum est, ac dein in omnibus Europæ partibus extiterunt plurimi summi viri, qui veterum librorum ope & ingenii præstantia, tot Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum, S. denique Patrum vulnera sanarunt, quæ seculis istis infelicibus acceperant. Cernite hic mecum Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Petrum Victorium, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmus, Carolum Sigonium, Aldum & Paulum Manutios, Antonium Muretum, Adrianum Turnebum, Iustum

Lip-



Lipsum, & complures alios, quos enumerare longum esset, ingeniorum & eruditionis principes, quibus salutem suam se debere optimi auctores confitentur. His tamen Criticis hoc crimen impingit Febriculanus, quod non nisi levia sectentur, & omnis eorum opera in nugis versetur. Qua noxa non omnes, qui se Criticos vocant & tales censi volunt, absolvo, cum non pauci reperiantur, qui studium hoc calide nimis amplexi, & nec ab ingenio, aut judicio, & varia doctrina abunde instructi; levissimas tantum res & inutiles afferunt, ac majestatem Criticæ jejunis suis observatiunculis imminuunt. Nam cum ad eam ingenium summum, judicium acre, nec vulgaris sed eximia requiratur eruditio, facto agmine involarunt homines ambitione cæci, qui famam nominis ex inanibus rebus petierunt, & sicut olim ridenda barbarie, ita naniis sua volumina implerunt, ac Criticæ dignitatem ineptiis suis inquinaverunt, quod malum plurima in rem literariam incommoda invexit. Sed hoc Criticæ, & viris magnis, quos majorum



jorum gentium Criticos appellare licet, fraudi esse minime debet. Pari jure enim vel ipsa Philosophia, quia multi, qui Philosophorum sibi nomen arrogant, nugatores sunt maximi, & vanissimis rebus immerfi, in intricatis controversiis, contortis quæstiunculis, futilibus næniis omnem ætatem misere transigunt, proscribenda esset. Veros Criticos levia tractare nemo sanus dixerit: nisi leve ducatur veterum scripta, ex quibus omnis solida eruditio haurienda est, à vitiis & mendis liberare, cum vel unius literulæ erratum, eruditis alioquin viris, tantas sæpe offundat tenebras, ut velut in illuni nocte errent. Nisi leve sit auctores veteres à mendosis translationibus vindicare, quæ sensum eorum plane pervertunt, & viros doctissimos in errores maximos præcipitant. Nisi leve denique sit librariorum fucos & fraudes detegere, libros falso inscriptos, magnisque scriptoribus suppositos deprehendere. Verum hac calumnia non contentus Febricianus, etiam Criticos dicit, si modo nacti sint aliquod MSS, & in eo invenerint literam

teram  
quod  
tium  
liter  
disce  
Critic  
mo  
prom  
man  
corri  
gant  
si rep  
max  
hoc  
ritur  
argu  
dign  
nequ  
gene  
mus  
sane  
quar  
tra  
pau  
rum



teram mutatam, statim corrigere, vel, quod verius est, depravare. Sed hoc vitium eorum est, qui nullo iudicio in his literis versati, genuinas falsasque lectiones discernere nequeunt, veros germanosque Criticos non tangit. Hi enim MSS. summo cum iudicio tractant, neque omnia promiscue ex iis arripiunt, sed vel menda manifesta, aut adhuc latentia, eorum ope corrigunt & indagant, vel majorem elegantiam aut commodiorem sensum in iis si repererint, auctoribus restitunt. Hoc maximum pulcherrimumque facinus esse, hoc laudem & gloriam nunquam intermorituram Criticis afferre quis neget? nisi argutuli quidam magistelli, qui hujus operæ dignitatem ac præstantiam neque videre, neque dignè æstimare sciunt. Sed hos generoso contemptu facile ulcisci possumus, & crassa illorum iudicia ridere. Nulla sane tutior aut certior est emendatio, quam quæ ex MSS. petitur. Sed illa recte tractare, non est è plebe doctorum, sed paucissimorum, qui diu in lectione auctorum versati, cum omnigenam sibi eruditionem

tionem



tionem pararunt, summa diligentia & iudicio quam maxime subacto, illud aggre-  
 diuntur. Addit Febriculanus, à Criticis ex conjectura plerosque auctores non corrigi sed corrumpi. Est quidem illa emendandi ratio periculosa, si temerarii quidam juvenes aut pueri senes in eam inciderint. Quorum ego corrigendi pruritus quam maxime culpo. At si à viris in conjectando sagacibus præstetur, non adeo lubrica est & incerta, aut plane dam-  
 nanda. Sunt enim eorum conjecturæ pleræque adeo claræ, liquidæ, & certæ, ut de illarum veritate dubitari non possit. Et licet, quod in illo negotio interdum fieri necesse est, quandoque fallantur, & persæpe titubent aut cadant, cum nemo adeo sit *ἔυσαχος*, ut non aut temeritate interdum, aut incuria peccarit, non tamen ita omnino luditur opera, ut non hac ratione sæpissime auctores juventur. Nam & plurima invisa erunt, & plerumque subnascitur alius, qui peccata priora animadvertat. Unde vel plurimum boni præstant ipsi, vel præstandi ansam sequentibus præ-  
 bent.



bent. Quot non loca vel ego in Varrone, Festo, Manilio, Aufonio, Poëtarum triumviris, Catullo, Tibullo, Propertio, & plurimis aliis scriptoribus hoc modo restitui? Conjecturas autem suas, quas omnes præstare non possunt viri maximi, non pro verissimis ac certis venditant, sed, sequuti sapientum judicium rationem, qui, quod perpetuo jure non possunt, arbitrario decidunt, aliorum judiciis submitunt. Dein periculum esse clamat Febriculanus, ne cuncta in scientiis innovent Critici accorumpant. Misera profecto hæc temporum ratio est, ut ingratum & odiosum sit, quædam à genio seculi aliena proferre. Est hic hominum plerorumque morbus, ut quæcumque à receptis & inveteratis opinionibus recedunt, nova & periculosa clament. Sed vanissimus ille metus est, cum nova, quæ Critici proferunt, nulli observata prius, scientias illustrent, & doctrinæ campum latissime extendant. Vel Theologo: quam multa docui? quot Scripturæ loca in meo de Emendatione Temporum opere & scriptis aliis explicavi primus, quæ



quæ boni isti viri nunquam intellexissent? Quam multa in Hippocratis libello detexi, quæ Medici ne in somnis quidem viderant, neque suspicati sunt? Imo vos, qui Philosophos vos dicitis, quam multa Criticis debetis, cum eorum ope Aristotelem, Platonem, Theophrastum, cæterosque præstantes Philosophos emendatos & explicatos habeatis? Sed quia hi sunt supra captum vestrum, neque tantam peritiam habetis, ut eos Græce consulere & legere possitis, non mirum si Criticorum industriam & inexhaustum laborem æstimare nequeatis. Lateret in tenebris, & nodis plusquam Gordiis implicaretur genus omne disciplinarum, nisi Critici essent. Perirent sacra pariter ac profana, perirent omnium monumenta & eorundem cultores, nisi Critici conservarent. Rediret pristina barbaries, & rerum omnium ignorantia, nisi Critici obsisterent. Ut non tanquam corruptores librorum & scientiarum Critici exagitandi sint, sed summæ contra ipsis habendæ agendæque gratiæ, qui divinarum humanarumque rerum scientiis

tiis



tiis opem ferentes, adminiculante laboriosa diligentia, excultiore ingenio, acriore iudicio, omnigena doctrina, optimis quibusque scriptoribus, qui ex illo Barbariei naufragio emerferunt, ultro subvenere, ac singulos salutari luce perfudere.

**P**Lura dixisset Scaliger, nisi è folio surrexisset Diva Sophia, & sat multis validisque rationibus Criticorum causam ab eo actam esse pronunciaffet. Haud dici potest quanta tum rerum facta sit mutatio. Critici cum gaudio & acclamatione Scaligeri orationem excipiebant, felicem ac lætissimum sibi spondentes exitum. Philosophis

— *frigidus horror*

*Membra quatit, gelidusque cõit formidine sanguis.*

Nam & præsens pavor & futuri expectatio omnium animos repentino stupore defixerat. Jamque illi ipsi, qui se paulo ante extulerant, & crudele hauserant gaudium

*Tacent, & ora pallor albus inficit,  
Mentesque percussa stupent.*

ac ingens ille animus concidit, demissisque stabant auriculis, asellis omnibus iniquiores.

Tum Diva Sophia breviter pronunciavit:  
*Sibi videri Recte & ex ordine Apollinem fecisse,*

C

cisse,



cisse, quod isto speculo Criticos donarit, cum nulli digniores essent, qui omnes artes & scientias & claros auctores melius intelligere, explicare & conservare possent. Ab ejus tamen aspectu arcendos esse indoctos & litigiosos, qui augustum nomen Criticæ falso sibi vindicarent. Philosophi imposteriorum silerent, neve Criticis negotium facerent, nisi male multari mallent. Tum læti sibi mutuo gratulabantur Critici, & Scaligerum, quod eorum causam optime orasset, dignis efferebant laudibus. Ego, cum isti hominum generi nimium semper favissem, me reprimere non potui, sed præ lætitia voce magna inclamavi,

*Vicimus ô socii, & magnam pugnâvimus  
pugnâ,*

atque ita somno statim solutus sum.

VALETE & PLAUDITE.

---

CORRIGENDA.

In Præfatione lin. 17. pro *Sumus studui*,  
scribe, *studuimus*: In Somnio pag. 21. lin.  
12. pro *Ræ*, *hæ*.

Reliqua errata, qui in libellis de Calceis  
Hebreorum typographorum incuria omissa  
sunt, lectorum candidum ut mendet roga-  
mus.